



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

De igneis compositionibus, quibus maiores nostri vsi fuerint. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

& pyrium pulverem inflammasse. Vnde fides præstari potest.

De igneis compositionibus, quibus maiores nostri vsi fuerint. CAP. II.

PRIVS QVA ad nostras ignium compositiones deveniamus, eas recensebimus, quibus maiores nostri in navalibus prælijs, in expugnandis, & defendendis urbibus vsi fuerint. Ex Thucidide habetur, oppugnantibus Plataenses, quum nil machinæ proficerent, ad ignes confugerunt, quippe materiam falces circa muros conijcentes, iniectisque igne, sulphure, ac pice materiam incenderunt: vnde tantum flammæ exortum est, quantum nemo unquam ad tempus illud inspexit. Heron docet in comburendis mœnibus post perforationem ligna tædæ supponi debere, & sicca pice, sulphure erito, vna cum liquida pice, siue oleo peruncta succedi. Et alibi per vnam comburere docet. Fuit fictilis vna, sed laminis ferreis ex parte exteriori colligata, minutisque carbonibus plena, fundum versus forata, vbi follis immittebatur: nam quum ignes carbonibus susceperunt, comburunt, atque aceto, vrina, aut aliorum acrum superfusione muri confringuntur. Vegetius in navalibus prælijs combustibilia docet, vtiturque oleo incendiario, stupa, sulphure, & bitumine; ardentibus sagittæ, per ballistas in hostiarum navium alveis infiguntur, inunctasque cera, pice, & resina tabulas tot ignium fomentis repente succendunt. Subnectemus

Ignifera missilia, quibus utebantur veteres.

Malleoli describuntur ab Ammiano Marcellino teli genus, quod hac specie figuratur. Sagitta est cannea, inter spiculum, & harundinem multiforme ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, qua nentur lintea flamma, concavatur, ventre subtiliter, & plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento, & sic emissa lentius arce invalido: arcus enim rapidiore actu extinguitur æstus incendiatorum, nec remedio vilo, quâ superiniecto pulvere, vel amurca conloquitur. Livijs. Alij cum ardentibus fecibus, alij flu-

pam, picemque & malleolos ferentes, tota collucente
flammis acie aduenere. In huiusmodi autem malleoli
concauo glutinum, ignisq; fomentum est inextingui-
bile, ex colophonia, sulphure, sale, quem nitrum appel-
lant, omnibus in lauri oleo liquefactis. Secundum alios,
oleo, petroleo, adipe anatis, medulla caninæ ferulæ, sul-
phure, & ut alijs visum est, ex oleæ oleo, sepo colopho-
nia, caphura, resina, stupa, hanc veteres bellatores com-
positionem incendiariam appellabant. Lucanus de nau-
uium incensione ait:

*Quam pelago diuersa lues, nam pinguis ignis
Affixus radio, & recto sulphure vitæ
Spargitur, ac faciles præbent alimenta carinis,
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

Et alibi:

*— piceo iubet unguine tintas
Lampadas immitti iunctis in Vela carinis,
Nec piger ignis erat per stupæa vincula, perque
Manantes cera tabulas, & tempore eodem
Transstrag, nautarum summisq; arsero Cherusci.*

Sed missilibus compositionibus, ut vehementius arde-
rent, additis liquenti vernice, oleo librario, petroleo, te-
rebinthina, aceto quam acri confectis, compressis, & ad
Solem desiccatis, ac stupa inuolutis, cum acutis ferris
munientibus, glomeris instar, funiculo contexti, quæ
omnia denique sint vno foramine prætermisso colo-
phonia, & sulphure, in sequentem modum oblita. Ad
Græcorum calliditate inuentus est

Ignis, qui dicitur Græcus.

In compendiosa nauium expugnatione fit bullitio sali-
gni carbonis, salis, ardentis aquæ vitæ, sulphuris, picis,
thurisque cum mollis Æthiopum lanæ filo, & caphura,
quæ, dictu mirabile, sola ardet in aqua materiæ omnem
adurens. Callimachus Architectus ab Helepoli fugiens,
id Romanos docuit primum, & eo sane Imperatores
multi postea in hostes vsi sunt. Contra ciuitatem Con-
stantinopolis nauigantes Orientales in d. omniibus
mille octingentis, Imperator Leo hoc ignis genere o-
mnes combussit. Idem paulo post quatuorcentum ho-
stium

stium naues, itemque tercentum quinquaginta eodem igne absumpsit. Ignem in ferula asseruari per annum Prometheus repperit. De his proinde Martialis:

*Inuita nimium pueris, gratæq; magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.*

De varia tormentarij pulueris compositione.

C A P. III.

MALE nobiscum actum videretur, de igneis compositionibus loquuturis, de miro illo, & mirabilium omnium authore tormentario puluere, si prius verba non fecerimus, quum ipse misturas omnes subingrediatur, & hinc omne dependeat, non quod de eo pertractare cordi sit, quum res vulgaris admodum, sed solum de ijs, quæ aliquid noui, vel occulti habeant. Constat igitur quatuor halinitri partibus, sulphuris singulari, singularique carbonis salicis. Sed oportet halinitrum repurgatum sit ex sale communi, pinguedine, & terrosis partibus: nam id cæterorum fundamentum & basis est. Omnia enim oportet sint bene contusa, optime incerniculo succreta, & quam optime simul remista. Vnde si queritur

Pyrius puluis uehementis strepitus, & operationis.

Addito halinitri plures partes, scilicet singularibus carbonis, & sulphuris sex, vel octo halinitri, sed optime repurgati, & remisti. Plus enim operantur quatuor halinitri partes optime repurgati, remisti que, quam decem succulenti, impermistique. Ex halinitro vis, flammæ rumor, ex sulphure incensio, ex carbone cita incensio proueniunt. Contra vero si queritur

Puluis pyrius sine strepitu pilam proijciens.

Oportet halinitrum debilitare, sed pingui aliquo, quod præstat auri glutinum, & butyrum, secundum notam, debitamve proportionem admiscendo, & remiscendo, sic sine rumore, vel paucissimo, ut vix ipse audias, pilam emittit, & si non tam uehementi impetu, profecto paulo minus. Modum non declaramus, ne ansam impijs male operandi præbeamus.